POSITIONES
HISTORICO--POLITICÆ
De
LEGIBVS,
QUAS
CLEMENTER ANNVENTE LEGVM DICTATORE OPTIMO MAXIMO,
PRÆSIDE
Viro Clariſsimo & Excellentiſsimo,
DN. MATTHIA BERNEGGERO,
BONARUM LITTERARUM PROFESSORE IN
Univerſitate florentiſſima Argentoratenſi, Celeberrimo,
Præceptore & patrono ſuo obſervanter ſuſpiciendo.

Pro virili ingenij portione defendere conabitur
PUBLICE
Menſe 28. Februario.
SEBASTIANVS OTTO,
Ulmenſis, Aut. & Reſp.

ARGENTORATI,
EXCUDEBAT PAULUS LEDERTZ,
Anno M. DC. XXVII.

VIRO

EXCELLENTISSIMO ET CELEBERRIMO, VARIARUMQUE RERUM USU EXERCITATISSIMO

DN. JOH. BAPTISTÆ HEBENSTREIT, GYMnaſii Ulmenſis quondam Rectori meritiſſimo, digniſsimo:

NEC NON

VIRIS INTEGRITATE ET AUCTORitate maximè conſpicuis:

DN. ULRICO Merz
DN. HEINRICO Kolb
DN. SEBASTIANO Beyern
} *Curatoribus meis parentis loco æternùm colendis:*

VT ET

Viris Reverendis, Clariſsimis, Doctiſsimisq;

DN. M. JOSEPHO Gusern, Eccleſiæ, quæ in Herren Sulzbach colligitur, Paſtori vigilantiſsimo:
DN. JOH. GEORGIO Nachtigaln, quartæ curiæ, Gymnaſii Ulmenſis moderatori fideliſsimo:
} *Dnn. affinibus meis quovis honoris cultu proſequendis:*

Hanc Diſputationem Politico-Hiſtoricam

debitæ gratitudinis & obſervantiæ conteſtandæ causâ

reverenter amicéq; offero & conſecro

SEBASTIANUS OTTO ULMENSIS,
Aut. & Reſp.

U. C.

IOANNI BAPTISTAE HEBEN-STREITTO

S. P. D.

Non abre verendum habeo, Vir excellentiſſime, ne me jamdudum apud te non ſolùm inhumanitatis aut inſolentiæ, verùm etiam inſignitæ cujusdam ingratitudinis reum agas, qui tam obviam literarum tuarum humanitatem aliquoties expertus; non ſaltem officio reſpondendi, beneficium agnoſcam. Verùm enimverò ſiquidem amicis tuis accenſere me dignaris, ut facis; mores meos noveris, non oderis, oportet. Eſt autem hoc mihi moris, non ſanè boni, fateor enim, ut erga nullos in officio litterario ſim indiligentior, quàm qui primæ mihi ſynceriores inter amicos ceræ. Nimirum his, quippe firmioribus, quàm ut ἀπροσηγορίᾳ *mutari queant, non niſi per ſummum otium, ſummámve neceſſitatem, reſcribo: cæteros, ambiguos adhuc, & quaſi dubiæ poſſeſſionis, epiſtolico illo fomento crebriore uberioreq; demulcere atque conciliare ſoleo, donec & in hos eſſe ceſſatori liceat. Vt autem in hoc tempore ſcribendum aliquid ad te ducerem, egregius juvenis, ille diſciplinæ tuæ quondam alumnus,* SEBASTIANVS OTTO *noſter, occaſionem præbuit, oblato quod vides eruditionis ac induſtriæ ſuæ ſpecimine non aſpernando: in quo ſi non iis ſatisfecit, qui nil niſi numeris omnibus abſolutum æquo animo legunt, (eſt autem iniquum, ab ætate juvenili, robuſtæ doctrinæ confirmatiq; judicii labores exigere) hoc certè demonſtravit,*

ſtravit, inſiſtere atque calcare ſe, paucis hodiè tritam, at unicè probatam illam doctrinæ conſequendæ ſemitam; ea eſt lectionis autorum Antiquorum. Abs te, nec dubito, hoc hauſit: qui ut es omnis ἀρχαιολογίας ipſe ſcientiſſimus, & quaſi Milo quidam, ut ita dixerim, in hac antiquæ litteraturæ palaſtrâ; ſic omnes tuos ex ingenio tuo formare ſoles. Gratulor adeò fœlicem cùm in hoc noſtro, tum aliis, quos huc ſubinde mittitis, inſtitutionis tuæ ſucceſſum: ex iisdemq́; tibi gloriam, inclytæ Reipub. veſtræ fructum ſpondeo minimè pœnitendum. Vale, Virorum egregie, præcipuum elegantioris doctrinæ fulcrum; & me porrò, quod facis, ama. Scr. Argentorati, d. 18. Febr. Anno Chr. M. DC. XXVII.

T. omni ſtudio & cultu,

Matthias Berneggerus.

DISPUTATIO HISTORICO-POLITICA.

De LEGIBUS,

POSITIO I.

Sine legibus civitas conſiſtere nequit.

HEraclitum dixiſſe ferunt: cives, non minus oportere pugnare pro legibus, quàm pro mœnibus: quòd abſque legibus nullo pacto civitas eſſe incolumis: absq; mœnibus, poſſit. Laert. *lib. 9. c. 1.* Quippe in legibus, civitatis ſalus eſt ſita. Ariſtotel. 1. *Rhetor. c. 4.* Sanè vinculum hujus dignitatis, quâ fruimur in Republica, fundamentum libertatis, fons æquitatis, mens, & animus, & conſilium, & ſententia civitatis, poſita in legibus. Ut corpora noſtra ſine mente, ſic civitas ſine lege, ſuis partibus, ut nervis, ac ſanguine, & membris, uti non poteſt. Cic. pro *A. Cluent. col. 385. A.* Viciſſim civitas lege carens, ob hoc ipſum quod careat, nullo loco habenda eſt. Cic. *2. de LL. col. 171.* Cùm ſine lege nec domus ulla, nec civitas, nec gens, nec hominum univerſum genus ſtare, nec rerum natura omnis, nec ipſe mundus poſſit. *d. aut. 3. de LL. col. 184.* Quæ enim obſecro poteſt ſpes eſſe in eâ Republ. in qua nec ſenatus, nec populus vim habet ullam? nec leges ullæ ſunt, nec judicia, nec omninò ſimulacrum aliquod, aut veſtigium civitatis? id. *10. epiſt. famil. 1.* Et quâ re aliâ multitudo coaleſcere in populi unius corpus poſſet, præterquam legibus? Livius *l. 1. c. 8.* Ex Apollinis itaq; tripode dictum: quod ſine legibus nulla Reſpubl. nulla hominum conſociatio ſalva ac illæſa ſtare poſſit: ut meritò Religio & Lex duo fortiſſima Reipubl. fulcra & fundamenta dicantur. Regulus. *tom. 2. cap. 1. princ.*

POSITIO II.

In Republ. gubernanda plus boni mores momenti, quàm leges ſcriptæ obtinent.

Lycurgus interrogatus, cur legibus ſcriptis non eſſet uſus, reſpondit, quòd bene inſtituti, temporis utilitatem norint. Plutarch. *in apophteg.* Scilicet plus hìc boni mores valent, quàm alibi bonæ leges. Tac. *de mor. Germ. c. 26.* Jusq; bonumq; apud hos non legibus magis, quàm naturâ valent. Salluſt. *de praſc.* Rom. *in Catil. c. 9.* Sic juſtitia gentis ingeniis culta, non legibus. Juſtin. *lib. 2. cap.* .*de* Scythic. Non enim decretis vel legibus, ſed bonis moribus civitas gubernatur; apud malè educatos nil valet lex; apud probè inſtitutos, ſufficiunt quæ bonis moribus recepta ſunt Iſocr. *in Areopagitico.* Conſuetudo & mos ſi boni ſunt in legem ſanè transferri poſſunt, ut firmiùs obſerventur. Ariſtotel. 7. *pol. 2.* Quid quod conſuetudinis major ac melior uſus, tempus multò potentius ipſis legibus. Senec. 4. *de benefic.* Felices itaque Scythæ, quamvis prorſus admirabile videatur, hoc iis naturam dediſſe, quod Græci longâ ſapientium doctrinâ præceptisq; Philoſophorum conſequi nequivêre, cultosq; mores, incultæ barbariæ collatione ſuperatos: Tantoque plus in illis perfeciſſe vitiorum ignorationem, quàm in his virtutis cognitionem: Juſtin. *lib. 2. c. 2.* Felices, ante quos fide nulli, veteres Germani noſtri, apud quod fœnus agitare, & in uſuras extendere, ignotum: ideoq, magis ſervatum, quàm ſi vetitum eſſet Tac. *de mor. Germ. c. 26.*

POSITIO III.

Rempubl. præſtat ab optimâ lege, quàm arbitrio Regis adminiſtrari.

Quamvis principio rerum arbitria principum pro legibus erât. Juſtin. *lib. 1. cap. 1.* Minus tamen id commodè. Civitati enim nullas leges eſſe, regentiumque libidinem pro legibus haberi, minimè conſultum eſt. Id. *lib. 2. cap. 7.* Et minui jura, quoties gliſcit poteſtas, dicit optimus imperandi magiſter Tiberius apud Tacit. 3. *annal.*

nal. cap. 69. Sunt verò omnia incerta, cùm à jure diſceſſum eſt; nec præſtare quisquam poteſt, quale futurum ſit id, quod poſitum in alterius voluntate, ne dicam libidine. Cic. *epiſt. fam. 16.* Inſuper Rex homo eſt, à quo impetres, ubi jus, ubi injuria opus ſit, eſt gratiæ locus, eſt beneficio, & iraſci, & ignoſcere poteſt, inter amicum & inimicum diſcrimen noſſe Liv. *lib. 2. cap. 3.* Contrà qui legem præeſſe vult, is velle videtur, DEUM ac leges imperare: qui verò vult hominem, etiam beluam adjungit. Ariſtot. *3. Pol. cap. 12.* Quid eſt jus civile? hoc certè quod neque inflecti gratiâ, neque perfringi potentiâ, neque adulterari pecuniâ poſſit. Cic. *pro A. Cæcin. col. 328. G.* Jus ſemper quæſitum eſt æquabile: neque enim aliter eſſet jus, id ſi ab uno juſto & bono viro conſequebantur, eo erant contenti: cum id minus contingeret, leges ſunt inventæ, quæ cum omnibus ſemper unâ atque eadem voce loquerentur. Id. *lib. 2. off. col. 503. G.*

POSITIO IV.

Leges ad rectam juvenum educationem ſunt neceſſariæ.

Imberbis Iuvenis tandem cuſtode remoto
Gaudet equis canibusque & aprici gramine campi.
Cereus in vitium flecti, monitoribus aſper,
Vtilium tardus proviſor, prodigus æris:
Sublimis cupidusque, & amata relinquere pernix. Horat. *in arte poet.* Unde temperanter & patienter vivere, inſuave eſt vulgo, præſertim verò juvenibus: ideoque educationem & exercitationes legibus ordinatas eſſe neceſſe eſt Ariſtoteles. *10. Eth. c. 9.* Imò à teneris rectam ad virtutem inſtitutionem adipiſci difficile eſt, niſi quis illic, ubi ſub legibus vivitur, fuerit educatus. Id. *d. loc.* Profectò ita ſe res habet, ut, quoniam vitiorum emendatricem, legem eſſe oportet, commendatricemque virtutum, ab ea vivendi doctrina ducatur. Cic. *1. de LL. col. 434. E.* Siquidem facultas ineſt legibus ea, ut ab iis meliores cives efficiantur. Ariſtot. *d. loc.* Efficiendi certè. Nec enim is ſolus Reip. prodeſt, qui candidatos extrahit, tuetur reos, & de pace belloq; cenſet: Sed qui juventutem exhortatur, qui in tantâ bonorum præceptorum inopiâ, virtute in-

ſtruit animos, qui ad pecuniam luxuriamque curſu ruentes prenſat ac retrahit, etſi nihil aliud, certe moratur, in privato publicum negotium agit. Senec. *de tranquill. anim. c.* 3.

POSITIO V.

Ex malis moribus ortæ bonæ leges.

Vetuſtiſſimi mortalium nullâ adhuc malâ libidine, ſine probro, ſcelere, eoque ſine pœnâ aut coercitionibus agebant; neque præmiis opus erat, cum honeſta ſuopte ingenio peterentur, & ubi nihil cujus morem cuperent, nihil per metum vetabantur. At poſtquam exui æqualitas, & pro modeſtia ac pudore ambitio & vis incedebat, provenêre dominationes & leges. Tacit. 3. *Annal. cap.* 26. Majores quoque noſtri, veteres illi, leges annales non habebant, quas multos poſt annos attulit ambitio, ut gradus petitionis eſſent inter æquales. Cic. *Philipp.* 5. *col.* 879. Hinc Solon rogatus, quam ob cauſam non tuliſſet legem in parricidas? reſpondiſſe fertur, quod non ſperaſſet futurum parricidam. Unde apud Æginetas olim pecuniariâ pœnâ mulctabatur is, qui legis inſtituendæ dediſſet occaſionem: Ariſtoteles 2. *Rhetoric.* Quantò verò plura vitia exarſerunt, tantò pluribus legibus opus fuit, hinc abiit in proverbium, Bonæ leges, ex malis moribus oriuntur. Macrob. *lib.* 3. *Saturnal.* Et ſicut antè morbos neceſſe eſt eſſe cognitos, quàm remedia eorum, ſic cupiditates priùs natæ ſunt, quàm leges, quæ iis modum facerent. Liv. *lib.* 34. *c.* 4. Uſu itaque probatum eſt, leges egregias, exempla honeſta, apud bonos, ex delictis aliorum gigni. Tacit. 15. *Annal. c.* 20.

POSITIO VI.

Non omnia juſta ſunt, quæ legibus cauta reperiuntur.

Stultiſſimum illud, exiſtimare omnia juſta eſſe, quæ ſcita ſint in populorum inſtitutis ac legibus. Eſt enim unum jus, quo devincta eſt hominum ſocietas, & quod lex conſtituit una: quæ lex eſt recta ratio imperandi atque prohibendi, quam qui ignorat, is

is eſt injuſtus, ſive eſt illa ſcripta uſpiam, ſive nusquam. Cic. 1. *de LL. col.* 431. *A. B.* Nihil enim refert utrum leges ſcriptæ ſint, nec ne Ariſtoteles. 10. *Eth. c.* 9. Quòd ſi populorum juſſis, ſi principum decretis, ſi ſententiis judicum, jura conſtituerentur, jus eſſet latrocinari, adulterare, jus teſtamenta falſa ſupponere, ſi hæc ſuffragiis aut ſcitis multitudinis probarentur. Cic. 1. *de LL.* Helvius Cinna Tribunus plebis, plerisque confeſſus eſt, habuiſſe ſe ſcriptam paratámque legem, quam Cæſar ferre juſſiſſet, cùm ipſe abeſſet, uti uxores liberorum quærendorum causâ, quas & quot vellent, ducere liceret. Suet. *in Cæſar. c.* 52. Semiramis, privatam inceſtûs ignominiam publico ſcelere obtectura, præcepit, ut inter parentes & filios, nullâ delatâ reverentiâ naturæ, de conjugiis appetendis, quod cuique libitum eſſet, liberum fieret. Oroſ. *lib.* 1. *c.* 4. Non igitur omne, quod licet, honeſtum eſt. *l.* 144. *ff. de R. I.*

POSITIO VII.

Paucas & bonas Leges in Republ. eſſe expedit.

Leges in Republ. ut medicamenta eſſe debent: atqui nec hæc multa aut varia probentur, non item illæ leges ſc. Lipſ. *lib.* 1. *monit. Polit. c.* 10. Veriſſimè enunciavit Plato: ubi multæ leges, ibi & lites multæ, & vita moresque pravi. *lib.* 3. *&* 5. *de LL.* & ex eo Strabo *ſub fin. lib.* 6. Corruptiſſima enim Respubl. cui plurimæ leges. Tac. 3. *Annal. c.* 27. Non ſecus atque ubi ſunt multi medici, ibi multi quoque morbi, ita ubi permultæ leges ponuntur: ibi plurimum eſt vitiorum. Arceſ. apud Laert. *lib.* 4. Prudenter & Reipubl. ſuæ conſulens Zalevcus Thuriis olim paucas & ſimplices leges dedit; ſed qui eum ſecuti ſunt, aliâs per ſubtilitatem & nimiam curam addiderunt, Ex quo factum eſt, ut celebres magis quàm boni redderentur. Strabo. *lib.* 6. Hoc ævum ſi videas, fateâre, ut anteà flagitiis, ſic nunc legibus laborari. Tacit. 2. *Annal. cap.* 25. Quàm igitur inconſultè Plin. paneg. negligitur monitum! videndum, ne legibus fundata civitas, legibus evertatur.

POSITIO VIII.

Leges veteres, pro tempore, & utilitate ſubditorum, mutari poſſunt.

Nocet interdum priſcus vigor, & nimia ſeveritas Tac. 1. *hiſtor. cap.* 18. Ita ut ad vetera inſtituta, hodierna revocanda non ſint. Salluſt. *orat.* 1. *ad Cæſ.* Quia homo (Legislator) aut errare potuit in lege condendâ, aut reſipuiſſe in reprobandâ Tertull. *in apolog. ad verſ. Mirant. gentes cap.* 4. Ut recte ſcribat Politicorum egregius Bodinus 1. *de Republ. c.* 8. Principi leges à ſe latas ſua voluntate, ac ſine ſubditorum conſenſu, abrogare, vel quadam ex parte legibus derogare, vel ſubrògare, vel obrogare licere, ac (ſi æquitas ipſa id poſtulare videatur) ſemper licuiſſe. Ecquis ignorat, legum importunitates & medelas pro temporũ moribus, & pro Rerumpub. generibus, ac pro utilitatum præſertium rationibus, proque vitiorum, quibus medendum eſt, fervoribus mutari atque flecti, neque uno ſtatu conſiſtere: quia ut facies cœli & maris ita rerum ac fortunæ tempeſtatibus varientur, inquit ad Phavorinum Cæcilius apud Gell. *lib.* 20. *noct. Attic. c.* 1. Hinc noſtras leges (inquit Juſtinianus *in Nov.* 127. *præfat.*) non piget nos emendare: ubique utilitatem ſubjectis invenire volentes. Imitatus in hâc re & nomine & re verè Auguſtum Imperatorem Rom. qui quædam ex horridâ illâ antiquitate ad præſentem uſum flexit, referente Tacito *libr.* 4. *annal. cap.* 16.

POSITIO IX.

Leges humanæ, nihil pietati contrarium præcipientes, conſcientiam violantium obligant.

Lex nihil eſt aliud, niſi recta & à numine Deorum ratio, imperans honeſta, prohibensque contraria Cic. 11. *Philipp.* Quid igitur poteſt eſſe melius, quàm homines in bonis legibus confidere, & caſus reliquos non timere? jura publica certiſſima ſunt humanæ vitæ ſolatia, infirmorum auxilia, & potentum fræna, unde & ſecuritas

ritas venit, & conſcientia proficit. Caſſiod. *in epiſt.* Oportet vero legum violatores omnibus communes exiſtimare, in quocunque tandem deprehendantur, neq; ullum tantum bēneficium in Rempubl. neque homo quisquam, neque dolus aliquis, aut aliud quicquam excogitari debet, cujus gratiâ qui leges violaverit, non luat pœnas Demoſth. *in orat. contra Midiam.* Nam quicunque legibus Imperatorum quæ pro Dei veritate feruntur, obtemperare non vult, acquirit verenda ſupplicia Auguſt. *epiſt. 50. ad Bonif.* Qui privata autoritate magiſtratui reſiſtunt, ordinationem Dei tollere conantur; & ſpuit in ſe, qui ſpuit adverſus Olympum. R. J. *de Ann.* 1525. §. Vnd iſt derhalben. *& de Ann.* 1526. §. Zum andern. *& §. ſeqq.* Neceſſitate itaque ſubditi eſtote, non ſolùm propter pœnam, ſed etiam propter conſcientiam, quia qui reſiſtit poteſtati, Dei ordinationi reſiſtit; qui autem reſiſtunt, ipſi ſibi judicium acquirunt. *Rom. 13.* Subjecti eſtote omni humanæ conſtitutioni, propter Deum, quia ſic eſt voluntas Dei 1. *Petr. 2.* Meum enim eſt cōſilium & æquitas, mea eſt prudentia, mea eſt fortitudo, meum opus eſt, quod Reges regnent, & conſiliarii decernant juſta, inquit veritas per os Salomonis. *Proverb. 8.*

POSITIO X.

Summus Princeps à legum divinarum obſervatione non eſt liber.

Regum timendorum in proprios greges;

Reges in ipſos imperium eſt Jovis. Horat. *lib. 3. carm. od* 1. Et Agapetus Diaconus *in Baſilicis c. 68.* Dominus quidem aliorum eſt Rex, ſed ipſe ſervus Dei per omnia exiſtit. Magiſtratus quidem ipſi de privatis, de magiſtratibus principes: Deus autem de Principibus decernit ac judicat. M. Aurelius philoſophus. Eſt ergò in genere, & ſanctitas Regum, qui plurimum inter homines pollent, & cæremonia Deorum, quorum ipſi in poteſtate Reges. Suet. *Cæſ. cap. 6.* Non itaque licet Imperatori, aliquid contra mandata divina præſumere, nec quicquam quod Evangelicis, Propheticis, aut Apoſtolicis regulis obviet, agere. Symmachus Papa *can. 2. diſt. 10.* Noli te gravare Imperator, ut putes, te in ea, quæ divina ſunt, imperiale

periale aliquod jus habere, nolite extollere, ſed ſi vis diutius imperare, eſto Deo ſubditus. ſcriptum eſt, quod Dei, Deo, quæ Cæſaris, Cæſari. Ambroſ. *ad Marcellinam ſororem epiſt.* 33. Noli venditare princeps: Imperativum primâ perſonâ carere. Noli occinere ſubditis: Principi leges neminem ſcripſiſſe. Plin. *paneg. c.* 65. Turpe illud: Licet, ſi libet. Spart. *in Anton. Carac. c.* 10.

POSITIO XI.

Summus Princeps legem naturæ obſervare tenetur.

Lex naturæ inſcripta eſt cordibus omnium hominum: *Rom.* 2. *verſ.* 14. omnibusque hominibus data & lata *l.* 9. *ff. de l. & l.* igitur & Principi quoque. Eſt enim hæc non ſcripta, ſed nata lex, quam non didicimus, accepimus, legimus; verùm à natura ipſa arripuimus, hauſimus, expreſſimus, ad quam non docti, ſed facti, non inſtituti, ſed imbuti ſumus. Cic. *pro Milon. col.* 768. *A.* Non putabam, tua imperata tantam vim habere, ut ipſe mortalis immortalium Deorum jura non ſcripta & immota tranſilire poſſes: illa non heri demum, neque nudius tertius nata ſunt primùm, ſed vivunt ſempiterna; neque eſt quiſquam, qui eorum initium ſciat, quando primùm extiterint, inquit Sophocles *in Antigonâ*, ſub perſona fœminæ ad Tyrannum. Hinc jus naturale indiſpenſabile dicitur *diſtinct.* 13. Quare olim Dionyſius, matri iniquum petenti reſpondit: Jus civitatis mutari quidem poſſe, Naturale non poſſe Plutarch. *in apophtegm.* Hæc conſiderans Canutus, Nortmanniæ, Daniæ & Angliæ Rex, ſedile ſuum in littore maris poni juſſit, & mare alloquens, ait: Tu mare ditionis meæ es, & terra in qua ſedeo, eſt mea: Impero & denuncio tibi, ne aſcendas terram, nec veſtes vel membra Domini tui, nec Dominatorem madore perfundas. Qua voce non perterritum mare, & terram & pedes Regis madefecit, unde Rex clamavit: Sciant omnes habitatores terræ, & univerſi orbis, vanum eſſe meum Imperium, vanas juſſiones, & vanam potentiam Regni, & ſtatuant, neminem verè dignum nomine Regis, præter eum, ad cujus nutum & mare quieſcit, & omnia obediunt elementa: Eberhard. à Weihe *de Vanitat. glor. hum. fol.* 95.

PO-

POSITIO XII.

Summus Princeps leges juris gentium obſervare tenetur.

Multa quidem legem non habent, atqui conſuetudo vitæ humanæ, lege omni valentior, dat aditum. Senec. *5. de benef. cap. 21.* Ecquis verò eſt iſte, qui ſe profitetur omnibus legibus innocentem? Ut hoc ita ſit, quàm anguſta innocentia eſt, ad legem bonum eſſe? Quantò latiùs officiorum patet, quàm juris regula? Quàm multa pietas, humanitas, liberalitas, juſtitia, fides, exigunt. Sen. *2. de Ira. cap. 27.* Ubi enim non eſt ſanctitas, non fides, non cura juris, ibi inſtabile eſt regnum. Senec. *in Thyeſt.* Nec ulla res vehementius Rempub. continet quàm fides. Cic. *2. off. col. 513. B.* Infirmatis contra, violatisque pactis, tollitur inter homines commerciorum uſus. Ariſt. *1. Rhetor. ad Theod. cap. 15.* Res igitur ut benè cedat, principi Lex imperabit, omnium regina mortalium atque immortalium, ut ait Pindarus: non ea quidem foris ſcripta in libris, aut lignis inſculpta: ſed viva in ipſius corde ratio, ſemper unâ habitans & excubans, & animum nunquam ſinens eſſe principatu vacuum. Plutarch. *in lib. ad princip. indoct.* Hæc vera lex, recta Ratio, naturæ congruens, diffuſa in omnes, conſtans, ſempiterna, vocat ad officium jubendo, vetando à fraude deterret, Huic legi nec abrogari fas eſt, neque derogari ex hac aliquid licet, neq; tota abrogari poteſt. Neque vero aut per ſenatum, aut per populum ſolvi hac lege poſſumus, unusq; erit communis magiſter, & Imperator omnium Deus ille, legis hujus inventor, diſceptator, lator, cui qui non parebit, ipſe ſe fugiet, ac naturam hominis aſpernabitur, atque hoc ipſo luet maximas pœnas, etiamſi cætera ſupplicia, quæ putantur, effugerit. Cic. *3. de Repub.* citante Lactantio *lib. 6. Inſtit. divin. cap. 8.*

POSITIO XIII.

Summus Princeps legib. nec Conventionalibus, neq; Fundamentalibus ſolutus eſt.

Utile judicamus, commune bonum tueri. Thucid. *lib. 1.* Com-

munis enim utilitas ſocietatis maximum eſt vinculum: Liv. *lib.* 36. Ut igitur gubernatori curſus ſecundus, Medico Salus, Imperatori victoria: Sic moderatori Reip. (Principi) beata civium vita ſit propoſita, ut opibus firma, copiis locuples, gloriâ ampla, virtute honeſta ſit. Cic. 5. *de Rep.* Hæc ut procuretur, à jure invitatus humano, patriæ pareat *l.* 2. *ff. de Iuſt. & Iur.* Quod patriæ, quod commiſſo ſibi regno præſtitit, in eo jurando ſatis ſit ſubſidii Plaut. *in Ciſtell. act.* 7. *ſc.* 1. Videatque unicè, ut jusjurandum hos habeat comites: veritatem, judicium atque juſtitiam: ſi enim iſta defuerint, nequaquam erit juramentum, ſed perjurium. *can. animadvertendum.* 22. *quæſt.* 2. Fruſtraque ſic fidem ſibi poſtulabit ab iis ſervari, quibus fidem à ſe præſtitam ſervare recuſat. Bonif. 8. *Pontif. Rom.* Imò religiosè per omnia ſervet fidem: hâc enim abrogatâ, omnis humana ſocietas tollitur. Liv. *lib.* 6. *cap.* 41. Et hoc ſymboli loco ſibi eſſe ſinat:

------Nudo jus & reverentia verbo
Regis ineſſe ſolet, quovis juramine major.
Non decet in labiis verſari lubrica Regis:
Non decet ore ſacro mendacia cudere Regem;
Sancta & plena ſuo ſunt regia pondere verba,
Dicta ſemel nullum patiuntur jure recurſum:

Imperator Frid. I. apud Guntherum Ligurin. *lib.* 3. *verſ.* 511. *& ſeqq.*

POSITIO. XIV.

Summus Princeps legibus civilibus & poſitivis, tùm quoad obſervantiam, tùm quoad pœnam ſolutus eſt.

Illud in principatu beatiſſimum, quod nihil cogitur: Plin. *paneg. cap.* 6. Imperator enim ſubjectus legibus non eſt, quia habet in poteſtate alias leges ferre. Auguſtin. *in epiſt.* Imò huic & ipſas DEUS leges ſubjecit. *Nov.* 105. *cap.* 2. Huic & in hunc cum lege Regiâ, quæ de ejus imperio lata eſt, populus (Romanus) omne imperium ſuum & poteſtatem contulit §. 6. *Inſt. de I. n. g. & c.* Unde Alberic. Gentil. *in quæſt. Regiis*: hoc, inquit, ſupremitatis eſt, ut nihil ſupra

ſe

ſe unquam cernat princeps, neque hominem, neque legem. Ecquis igitur tantæ erit auctoritatis, ut nolentem Principem poſſit coarctare? Juſtinian. *in Nov.* 13. *c.* 2. Hinc illud ſibi uſurpaverunt, (Imperatores) quod antea civium Romanorum datum eſt nemini, ut ſoluti legibus eſſe dicantur, h. e. omni legis neceſſitate liberati, nec iis, quæ ſcripta ſunt, ſubjecti. Dio. Caſſ. *l.* 53. *hiſtor.* Unde factum, ut illud: Legibus ſolutum eſſe, totidem verbis latinis diceretur, ut viderentur illa verba quodammodo fuiſſe ſolemnia. *ead. ibid. notante.*

POSITIO. XV.

Decet legislatorem eas ſervare leges, quas ipſe tulit.

Nullos pejus mereri de omnibus mortalibus judico, quàm qui aliter vivunt, quam vivendum eſſe præcipiunt. Sen. *ep.* 108. Vita namque Principis cenſura eſt: eaq; perpetua; ad hanc dirigimur, ad hanc convertimur: nec tam imperio nobis opus eſt, quàm exemplo. Plin. *panegyr. Traj. c.* 45. Nec aliud præcipi debet, niſi quod prius quisque imperaverit. Valer. Maxim. *lib.* 8. *cap.* 6. Cumque ad omnia, quæ dura atque aſpera ſunt ſubeunda, dux debeat eſſe: quare ſi quid injungere inferiori velis, id priùs in te, ac tuos, ſi ipſe juris ſtatueris, faciliùs omnes obedientes habeas. Liv. *lib.* 26. *cap.* 36. Egregium itaque enunciatum eſt Impp. Severi & Antonini: licet, dum inquiunt, legibus ſoluti ſimus, attamen legibus vivimus. Juſtinian. §. *ult. Inſt. quib. mod. teſtam. infirm.* Decet quippe tantæ majeſtati (Imperatori) eas ſervare leges, quibus ipſe ſolutus eſſe videtur. Paulus Jureconſ. *l.* 23. *ff. de legat.* 3. Sic de Lycurgo Juſtin. *lib.* 3. *cap.* 2. Spartanis leges inſtituit, non inventione earum magis, quàm exemplo clarior: Siquidem nil lege ullâ in alios ſanxit, cujus non ipſe primus in ſe documenta daret: populum in obſequia principum, Principes ad juſtitiam imperiorum firmavit.

POSITIO XVI.

Leges Veſtiariæ Reip. ſunt utiles.

Veſtes multiplicem uſum homini præſtant, dum non tantùm

corporis tegunt deformitatem, easq; partes quas natura velandas eſſe innuit: ſed etiam corpori ornatum addunt, & pro ratione ſtatûs, ſexûs, ætatis, temporum, juxtaq; facultatum proportionem, hominem ab homine diſtinguunt, Perkins. *armil. aur.* Richt. *axiom. polit.* 318. Utinam hic ſolus eſſet veſtium uſus; Abuſus earum quàm varii? Nemo vult ibi pretioſis veſtibus indui, ubi ab aliis non poſſit videri. Gregor. *in Homil.* Nullarum ferè pretioſior cultus, quàm quarum pudor vilis eſt. Cyprian. *de habit. virg.* Hinc apud Syracuſanos Lege cautum erat, ne quis ſe auro ornaret, ſupervacaneis veſtibus uteretur, niſi ſe mœchum re eſſe fateretur, aut cinædum. Athen. *12. cap. 6.* Impenſa ſuperflua ob pannos pretioſiores magno pretio emptos, immobilia vendere, furari, doloſè negotiari, quando talia veſtimenta ſupra dignitatem & facultatem appetunt, cogit, imò etiam provincias totas exhaurit. *R. I. de Ann. 1548. & 1577. tit. 9.* Von vnordenlicher Köſtlichkeit oder Kleydung. ibi. Das dardurch nicht allein ſondere Perſonē/ſondern auch Landtſchafften in ringerung jhrer Nahrung ſeind. Taceo ordinum confuſionem veſtium abuſum triumphantem *R. I. d. l. ibi.* Daß vnder den Fürſten vnnd Grafen / Grafen vnnd Edelman/ Edelman vnd Burgern/ Burgern vnd Bawren kein vnderſcheid erkandt werden mag. Præclare itaque prudenterq; Cæſar ordines civium veſte diſcriminavit, ut ſcil. qui (verbis Tacit. 2. *Annal. cap. 33.* locis, ordinibus, dignitatibus antiſtant, cultu quoque ab aliis diſcernerentur. Sueton. *in Cæſar. cap. 43.* Hac in re admodum acuti erant Lacedæmonii, Curam enim gerebant Ephori, ut quotidie multum diligenterque conſiderarent, quæ ad veſtitum pertinerent, num aliquid circa veſtes, & decenti & debito ornatu deficeret. Ælian. *lib. 10. cap. 7.* Commendat etiam eo nomine Jacobus Bornit. *lib. 4. de Ærar. cap. 6.* Rempubl. Auguſtanam, Noribergenſem, & Francofurtenſem, quod in iis ſuus cuique ordini, patritio & plebejo habitus præſcriptus extet legibus veſtiariis, quas transgredi non liceat ſine pœna, ita ut delinquentes, cenſores conſtituti ſint clandeſtini, qui in publicis & privatis converſationibus ſingulos obſervent atque notent. Hoc etiam vult Plato 3. *& 4. de Republ.*

Leges, inquit, ſumtuariæ in Republ. benè morata ſunt condendæ & ſervandæ.

COROL-

COROLLARII LOCO ERVNT HAE QVAESTIONES.

I.

An forenſes Moſaicæ leges, neceſſariò obſervandæ, in Chriſtianâ Republ. nec ne? N.

II.

Vtrum dux belli prælio intereſſe debeat? A.

III.

An ſtratagematis uſus ſit licitus? A.

IV.

An judæi ſemel in civitatem recepti, iterum expelli, an tollerari debeant? Diſting.

V.

Num etiam mulierib. liceat bella gerere? N.

DEO SIT LAVS ET GLORIA.

AD

AD PRAESTANTISSIMUM ET LITERATISSIMUM Dn. RESPONDENTEM,
fautorem & amicum ſuum ſingularem, De Legibus Hiſtorico-Politicè publicè diſputantem.

OMne tulit punctum, quem duplex ornat hic uſus;
Non minùs ut vivat, quàm benè juſta ſciat.
Vt benè juſta ſcias, Leges ſub Apolline magno
Dictas, & fauſto ſydere tela vibras.
Hiſtoricos latâ quæ plenos ſegete campos
Te ſtudio magno pervolitaſſe ferunt.
Conſuluiſſe virûm, teſtantur, oracla ſecreta
Laude politorum: quàm bene ſcire tuum eſt!
His planè tutiùs præeuntibus usq; magiſtris,
Ad Themidos ſternis candida templa viam.
Hujus ut & Divæ divinas diſcere Leges
Et Patriæ poßis laude præeſſe tua.
Scire tuum ſic eſt; ſic Theſes arte politæ:
Quod ſupereſt, Patriæ vive, tibiq; vige.

L. Mq;
F.

M. Joann Caſpar Mockel, Colonienſis,
jurium Stud.

Aliud.

SCire quidem Leges, & publica ſcripta virorum,
Res eſt haud parvi ponderis & ſtudii:
At juxta Leges rationes fingere vitæ,
Majoris multò ponderis & ſtudii eſt.

Sed

Sed veluti tritum eſt: Ignoti nulla cupido:
Quàm ſerves Leges, ſic prius ipſe ſcies.
Hinc tibi mens arſit Leges tractare politas,
Hinc ſurgit magno Præſide pugna tibi.
Scilicet ut patriæ diſcas, & vivere poſſis:
Non minùs atque tuis: non minùs atque tibi.

Amicæ benevolentiæ ergo
Fac.

Ulricus Weißlandt / Iſnenſis.

Aliud.

S*Ic, Otto, ingenij dulces depromito fructus,*
Fructus; queîs multis utilis eſſe queas.
Naturam indagas legum, res unica lex eſt
Quâ recte poſſit plebs populusque regi.
Perge alios nobis ſic ſapius edere fructus
Et tua prælustris fama perennis erit.

ἀυτχεδιασὶ officii ergò F.

Leo Eberhardus Roth.

Aliud.

O TTO *dum monſtras quæ ſit præſtantia legum,*
Atque doces ſecum commoda quanta ferant;
Sat Te commendas, & te commendat abundè
Præſes, qui noſtræ gloria magna Scholæ.
Ad plauſum ergò meres doctorum ritè virorum.
Atque facis matris ſic rata vota Tuæ.

Amicitiæ ergò fecit

J. W. Rabus.

F I N I S.